QUOMODO EXPLANANDUM SIT INSTRUMENTI PACIS MONASTERIENSIS CAPUT LXXXVII QUOD INSCRIBITUR :

TENEATUR REX CHRISTIANISSIMUS

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI

Georges BARDOT

Ejusdem Universitatis olim alumnus

Nunc in Lyceo Gratianopolitano Professor

GRATIANOPOLI

EX TYPIS XAVERII DREVET

Via dicta rue Lafayette, 14

MDCCCXCIX

QUOMODO EXPLANANDUM SIT INSTRUMENTI PACIS MONASTERIENSIS CAPUT LXXXVII QUOD INSCRIBITUR :

TENEATUR REX CHRISTIANISSIMUS

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI

Georges BARDOT

Ejusdem Universitatis olim alumnus

Nunc in Lyceo Gratianopolitano Professor

GRATIANOPOLI

EX TYPIS XAVERII DREVET

Via dicta rue Lafayette, 14

MDCCCXCIX

INDEX DOCUMENTORUM
ET LIBRORUM QUIBUS USUS SUM

Documenta quæ in tabulario officii externorum negotiorum deposita sunt et per litteras A. A. E. hic notantur.

Documenta quæ in bibliotheca dicta « Bibliothèque Nationale » deposita sunt et per litteras B. N. hic notantur.

Adamus Adami, *Arcana Pacis Westphalicæ*, Francofurti, MDCXCVIII.

Alten (Die) Territorien des Elsass, Strasbourg, MDCCCXCVI.

Boug (De), *Recueil des édits, déclarations, lettres patentes, arrêts du Conseil d'État et du Conseil souverain d'Alsace*, Colmar, MDCCLXXV.

Bougeant, *Histoire du traité de Westphalie*, Paris, MDCCLXVII.

Calmet (Dom), *Histoire de l'abbaye de Münster*, publiée par F. Dinago, Colmar, MDCCCLXXXII.

Dumont, *Corps universel diplomatique*, Amsterdam et La Haye, MDCCXXVI-MDCCXXXI.

GYSS, *Histoire de la ville d'Obernai*, Strasbourg, MDCCCLXVIII.

IMHOFF, *Notitia Sancti Romano-Germanici Imperii procerum tam ecclesiasticorum quam sæcularium,* Tubingen, MDCLXXXVII.

LAGUILLE (Le P.), *Histoire de la province d'Alsace,* Strasbourg, MDCCXXVII.

LÉONARD, *Recueil des traités de paix..... faits par les rois de France depuis trois siècles*, Paris, MDCXCIII.

MEIERN, *Acta Pacis Westphalicæ*, Hannover, MDCCXXXIV-MDCCXXXVI.

Négociations secrètes touchant la paix de Münster et d'Osnabrück, La Haye, MDCCXXV.

OVERMANN, Die Reichsritterschaft im Unterelsass (*Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins*; *Neue Folge*, *Band XI, Heft 4; Band XII, Heft 1*).

PFISTER, Un mémoire de l'intendant Colbert sur l'Alsace (*Revue d'Alsace, 1895*).

REUSS, *L'Alsace au* XVII[e] *siècle,* Paris, MDCCCXCVII.

RHEINWALD, *L'abbaye et la ville de Wissembourg*, Wissembourg, MDCCCLXIII.

SCHŒPFLIN, *Alsatia Illustrata*, Colmariæ, MDCCLI-MDCCLXI.

VANHUFFEL, *Documents inédits concernant l'histoire de France*, Paris, MDCCCXL.

Hoc mihi proposui ut per hunc libellum monstrarem nec universam Alsatiam, id est geographicam regionem, nec solam Austriacam Alsatiam, scilicet territoria quæ Domus Austriaca, seu jure hereditario, seu pignoris causa, in hac regione possidebat, vigore instrumenti pacis Monasteriensis in Galliam translatam esse (1).

I

Solent Gallici scriptores asserere pacti Monasteriensis capita LXXIII et LXXIV Ludovico XIV Alsatiam totam, nomine Landgraviatus Superioris Inferiorisque Alsatiæ comprehensam, tradere; primam autem capitis LXXXVII partem hanc universam cessionem contrahere videri; sed ultimam ejusdem capitis clausulam exceptiones illas abrogare. Inprimis monstrare volo non discrepare caput LXXXVII cum capitibus LXXIII et LXXIV, at illo plane explicari quid in his contineatur.

Perspiciamus enim quid significent capita LXXIII et LXXIV. Sed antea hoc notandum : si prædictis capitibus Alsatia integra Galliæ tradita esset, simul ejusdem regionis fines, ut mihi videtur, describendi fuissent.

[1] Cf. censuram de libro D. Reuss (*L'Alsace au XVII^e siècle*) quæ, hoc libello jam confecto, a D. Pfister in *Revue historique*, t. LXVIII, p. CCCLXXVI, edita est.

Etenim Alsatia non status unicus erat, sed in multos status et natura et amplitudine dissimiles dividebatur. Hoc verbo *Alsatia*, sicuti verbis *Westphalia, Franconia*, *Suevia*, non politica, sed geographica res indicabatur. Fines autem regionis, quæ Alsatia vocabatur, occidentales, austriales præsertimque orientales satis certe statuti erant, non septentrionales (1). Duorum fluminum, quæ Lauter et Queich vocabantur, utrum pro septentrionali Alsatiæ termino indicendum? Civitas Landaviensis, quæ ad flumen Queich sita et Decapolitanæ fœderationis pars erat, utrum in Alsatia an in Spiregovia includenda? De illo puncto in sæculo XVIII adhuc disceptabatur (2). Si capita LXXIII et LXXIV instrumenti pacis universam Alsatiam, quæ non principatus plane terminatus, sed regio partim incerte finita erat, Galliæ tribuissent, mirum esset haud ibidem simul hanc de finibus litem esse compositam (3).

[1] De politica Alsatiæ descriptione lectorem ad sequentes libros semel rejicio: Schœpflin, *Alsatia Illustrata*; — *Die Alten Territorien des Elsass nach dem Stande von 1 januar 1648;* — Reuss, *L'Alsace au XVII^e siècle*. Qui diversorum Alsaticorum statuum implicationem animo effingere vult, duas tabulas libro *Die alten Territorien des Elsass* adjunctas inspicere potest.

[2] V. in A. A. E., *France*, t. 1469, memoriale *Sur les limites de la Basse Alsace du côté du Palatinat*, et memoriale *Extrait des mémoires des limites de la Basse Alsace*. — Ignotus auctor memorialis quod inscribitur *Histoire de la satisfaction accordée à la France par le traité de Münster* (A. A. E., *Correspondance. Allemagne*, t. 125, f° 293, a. MDCXLIX), indicat Alsatiæ finem « septentrionalem flumen Lutter (Lauter) esse; quod ipsam inter et terras Inferioris Palatinatus episcopatusque Spirensis fluit. Postea Gallici gubernatores flumen Queich septentrionalem Alsatiæ terminum esse asserturi erant.

[3] Dicet aliquis instrumento pacis Ryssvicensis haud exact

His notatis, attendamus quid contineant jam dicta capita. Per caput LXXIII pasciscuntur partes : « Imperator pro se totaque Serenissima Domo Austriaca, itemque Imperium cedunt omnibus juribus, proprietatibus, dominiis, possessionibus ac jurisdictionibus, quæ hactenus sibi, Imperio et familiæ Austriacæ competebant in Oppidum Brisacum, Landgraviatum Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviam, Præfecturamque provincialem decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum, scilicet Hagenaw, Colmar, Schlettstatt, Weissenburg, Landaw, Oberenhaim, Roshaim, Münster in Valle Sancti Gregorii, Kaisersberg, Turinckhaim, omnesque Pagos et alia quæcumque jura, quæ a dicta Præfectura dependent, eaque omnia et singula in Regem Christianissimum Regnumque Galliarum transferunt. » Per caput LXXIV : « Itemque dictus Landgraviatus utriusque Alsatiæ et Suntgoviæ, tum etiam Præfectura provincialis in dictas decem Civitates et loca dependentia.. .... absque ulla reservatione cum omnimoda jurisdictione et superioritate, supremoque dominio, a modo in perpetuum, ad Regem Christianissimum Coronamque Galliæ perti-

pangi (cap. IV) ut Ludovicus XIV restituat « quævis tam durante bello et via facti quam unionum nomine occupata loca et jura quæ *extra Alsatiam sita..... sunt* », nec de septentrionali Alsatiæ fine disceptationem terminari. At animadvertendum alsaticas « uniones », prædicto pacti Ryssvicensis capite oblique confirmatas, pacis Monasteriensis explanatione niti quam jam a Neomagiensi pace Ludovici XIV ministri solam veram perhibebant. Si, durante Ryssvicensi conventu, petiissent ut septentrionalis Alsatiæ finis exacte statueretur, simul confessi essent de regis jurium amplitudine instrumento pacis Monasteriensis aliquid dubii inesse; ita ut id quo ejus contentiones nitebantur ipsi infirmassent.

neant, et dictæ Coronæ incorporata intelligantur, absque Cæsaris, Imperii, Domusque Austriacæ, vel cujuscumque alterius contradictione (1). »

Omnia huc redeunt ut, per verba « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, Præfecturæque provincialis decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum », Imperator, Imperium et Austriaca domus quasdam res concedant, quibus Rex Christianissimus in perpetuum, cum integra supremitate ac sine ulla Imperatori Imperiove subjectione fruetur.

Plerisque Gallicorum historicorum videtur res ita concessas nihil aliud esse quam integram Alsatiam, scilicet geographicam regionem. Sed primum objiciendum ejusdem pacificationis tractatus capite LXXXI sanciri : « Magistratus et incolæ dictæ Civitatis Tabernarum (quæ Argentinensis episcopatus terrarum pars erat et cujus murorum aversio priore capite indicebatur) neutralitatem accurate servent, pateatque illac Regio Militi, quoties postulatum fuerit, tutus ac liber transitus. » Si tota Alsatia in Regem Christianissimum capitibus LXXIII et LXXIV translata esset, sane supervacuum fuisset, ut mihi videtur, ipsius copiis liberum transitum per unam alteramve Alsatiæ partem præterea concedere.

In regione Alsatia dicta duæ partes, non politicæ, sed geographicæ, secernebantur, quæ Superior et Inferior Alsatia vocabantur, et inter quas rivus Eckenbach, qui in flumen Ill paulum ante Schlestadt influit, pro perantiquo fine indicebatur. Si, exempli gratia, vocabulum « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ », in capite LXXIII usitatum, duas regiones Superiorem et

[1] Dumont, *Corps diplomatique*, t. VI, pars I, p. CCCCL.

Inferiorem Alsatiam dictas significet, cur eodem capite « Suntgoviæ » et « Præfecturæ provincialis » præterea mentio fit? De Suntgovia saltem quis dicet hanc regionem tum in Superiore Alsatia repostam, tum ab illa sejunctam duci, et propterea istam in instrumento pacis nominatim indictam esse. At quid de Præfectura provinciali respondendum? Præfectura provincialis (germanice *Landvogtei*) ullo modo nec geographica regio nec provincia administrationis causa circumscripta erat. Præfectus (germanice *Landvogt*), qui ipse aut vicarius ejus civitatem Haganoënsem colebat, potestatem, haud ubique pariter amplam, in imperiales civitates, villas, abbatiasque vel imperiales vel non, per utramque Alsatiam dispersas, exercebat. Si per vocabulum « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ » regio, quæ Alsatia vocabatur, in Ludovicum XIV universe translata habenda esset, non facienda erat peculiaris Præfecturæ mentio, quia hæc non quarta regio, a Suntgovia et Alsatia Superiore vel Inferiore discriminata, sed munus erat, quo Præfectus in quibusdam locis, Superiore ac Inferiore Alsatia inclusis, diverso modo fungebatur.

Ita profecto se res habet ut tantum post pacem Neomagiensem perfectam Ludovici XIV ministeriales publice asseverarent Alsatiam, scilicet geographicam regionem, per diversa vocabula « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ et Præfecturæ provincialis », capitibus LXXIII et LXXIV Galliæ universam traditam esse. Et, quod sciam, nunquam ante duo judicia, quæ Superius Consilium Brisacense die XXII martis et die IX augusti a. MDCLXXX tulit (1), hæc præ-

[1] Reperiuntur in : Léonard, *Recueil des traités*, t. VI, p. CCLI et

dictorum capitum explanatio palam prætensa fuit. Colbert de Croissy, qui ab anno MDCLXXIX exterioribus negotiis præfuit et tunc unus ex iis exstitit qui præcipue in « reunionibus » versati sunt, in memoriali (1) de Alsatia, cujus a. MDCLXIII modo regimen relinquebat, hæc scribebat : « Alsatia cujus unam ex maximis partibus, per tractatum Monasterii absolutum et signatum, Sua Majestas immutabiliter (2) acquisivit.......... » Et satis ex illius memorialis lectione constat Colbert tunc longe abesse ut inter territoria regi tradita regionem Alsatiam dictam totam comprehenderet (3).

Ceterum jam dictis Superioris Consilii Brisacensis judiciis mira discrepantia inest. Judices asserunt instrumentum pacis Monasteriensis, Neomagiensi tractatu confirmatum, in regem omnes terras transtulisse quæ utraque regione Superiore et Inferiore Alsatia dicta comprehendebantur. Si perspiciamus autem omnia et singula Alsatica territoria quæ propter ea regali supremitati subjecta indicuntur, comperimus nec Argentinensem in Inferiore nec Milhusinam civitatem in Superiore Alsatia sitam inter illa adscribi. Quædam dominia (Wasselonne, Barr, Illkirch, Marlenheim), ad Argentinensem civitatem spectantia, annectuntur, non ipsa libera et imperialis civitas Argentinensis. Et verisimiliter

seq.; — et de Boug, *Recueil des édits, déclarations, lettres patentes, arrêts..... du Conseil souverain d'Alsace*, t. I, p. LXXXIII et seq.

[1] Cum præfatione editum est a D. Pfister in *Revue d'Alsace* (a. MDCCCXCV) sub titulo : Un mémoire de l'intendant Colbert sur l'Alsace.

[2] Sic vertitur vocabulum *in perpetuum* capitis LXXIV.

[3] Cf. *Histoire de la satisfaction.....*

illa duplici exceptione huic opinioni, abhinc apud Gallos celeberrimæ, auctoritas addita est, tractatu pacis Monasteriensis « Alsatiam integram, Argentinensi Milhusinaque civitatibus exceptis », Ludovico XIV traditam fuisse.

Itaque non puto vocabulis « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ et Præfecturæ provincialis » Alsatiam universam, scilicet geographicam regionem, significari. Perquirendum igitur quid illis variis verbis indicetur, si cognoscere velimus quæ capitibus LXXIII et LXXIV Ludovico XIV tributa sint.

II

Vocabula quibus usi sunt ei qui sæpedicta capita conscripserunt, quemdam de politica Alsatiæ descriptione a. MDCXLVIII fortasse decipiant. Nullus « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ », « Landgraviatusve utriusque Alsatiæ et Suntgoviæ » tunc erat. Duo erant principes titulo Landgravii ornati, unus in Superiore, alter in Inferiore Alsatia.

In Superiore Alsatia titulus Landgravii Austriacæ domus patrimonio inhærebat. Superioris Alsatiæ Landgraviatus, qui quartam circiter totius Alsatiæ partem amplectebatur, multo major Habsburgensium dominiorum in hac regione sitorum pars erat.

Ipsius Superioris Alsatiæ Landgraviatus majorem partem Suntgovia amplectebatur « Suntgovia, ait Colbert de Croissy (1), meliorem Superioris Alsatiæ

(1) In jam dicto memoriali.

partem efficit. » Nonnunquam tamen Suntgovia a Superiore Alsatia secernebatur, flumine Thurr fere pro fine indicto (1). Propter ea verisimiliter et ut omnis ambiguitas abigatur, in capite LXXIII verbis « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ » jungitur nomen « Suntgoviæ », et capite LXXIV inseritur hæc nova et insolita formula « Landgraviatus utriusque Alsatiæ et Suntgoviæ ».

Mirabitur forsan aliquis quod adhibetur hoc verbum « Suntgoviæ », cui contra quam significarent verba « Landgraviatus Superioris Alsatiæ », aut « Landgraviatus Inferioris Alsatiæ », aut « Præfecturæ provincialis », geographicus unice non politicus sensus inerat, et quo naturalis regio, non status aut munus, indicabatur. Regio autem, quæ Suntgovia vocabatur, tota, perpaucis et perexiguis locis exceptis (2), Austriacæ domus jure hereditario erat, et propter ea illud vocabulum, quod mere geographice sonabat, sine detrimento adhiberi poterat.

In Suntgovia præcipue continebatur comitatus Phir-

[1] « Alsatiæ..... fines sunt..... a meridie Suntgovia quæ illam comitatumque Burgundicum disterminat. » *Histoire de la satisfaction.....*

[2] Excipiebantur: exigua pars exigui dominii Landskronensis, in austrialibus Alsatiæ limitibus siti, quæ ad domum Badensem-Durlacensem spectabat (altera pars ejusdem dominii Habsburgiis competebat); — villæ Burgfelden et Hegenheim, episcopatus Basileensis territorii in Suntgovia appendices; — denique earumdem villarum septentrionali limiti contigua villa Haesingen, ad abbatiam Murbacensem spectans, Habsburgiis autem quædam superioritatis jura in eam sibi per Cameram Ensisheimianam vindicantibus (*Die Alten Territorien des Elsass.....*, p. LV, nota XVIII).

retensis (germanice *Pfirt*, gallice *Ferrette*), qui, sæculo XIV incipiente, per matrimonium Habsburgiis obvenerat, qui jam Superioris Alsatiæ Landgraviatu fruebantur. Notandum est comitatum Phirretensem non Imperii sed episcopatus Basileensis feudum tunc esse. Ille amplectebatur sequentia dominia : Pfirt (Ferrette), Altkirch, Thann, Belfort, Rotenburg (Rougemont), majoremque parvuli dominii Landskronensis partem, cujus reliqua pars ad margravium de Bade-Dourlach spectabat (1).

Cum comitatu Phirretensi in Suntgovia includebantur dominia Landserense et Masmonasteriense (Massevaux), quibus Habsburgii jure hereditario pariter fruebantur. Hæc igitur dominia et totus Phirretensis comitatus summatim per vocabulum « Suntgoviæ » pacis Monasteriensis instrumento Galliæ tradebantur.

Abstracta Suntgovia, amplectebatur Landgraviatus Superioris Alsatiæ : ballivias Sennheimensem (Cernay) et Ensisheimensem, dominia Isenheimense, Bollvillerense et Hohenlandspergense seu Landspurgense, denique partem dominii Rappolsteinensis (Ribaupierre).

Dominium Rappolsteinense, quod inter amplissima totius Alsatiæ, etsi non immediatum, erat, ex feudis seu Domus Austriacæ, seu episcopatus Argentinensis, seu abbatiæ Murbacensis, seu episcopatus Basileensis constabat. Ballivias Rappolsteinensem, Gemarensem, Bergheimensem, Zellenbergensem, Markirchensem, Hohenackensem vel Urbeisensem (Orbey),

[1] Postea, a. MDCLXIV, Ludovicus XIV totius castri dominiique Landskronensis possessionem sibi paravit, sub ea conditione ut annuam MMM librarum pecuniam domui Badensi-Durlacensi in perpetuum præstaret (Reuss, *L'Alsace au XVII^e siècle*, t. I, p. DXXI).

Weierensem et Heiterenensem amplectebatur. In ballivia Gemarensi tres villæ (Heidolsheim, Musig et Breitenheim), tota pariter ballivia Bergheimensis, castrum Hohenack in ejusdem nominis ballivia, et villa Balgau in ballivia Heiterenensi austriaca feuda erant (1).

Multum aberat ut omnes possessiones quæ in Superiore Alsatia jure hereditario domus Austriacæ erant, omnino continentes essent. Suntgovia tantum, ballivia Sennheimensis, major pars balliviæ Ensisheimensis, dominiaque Isenheimense et Bollvillerense satis cohærebant. Pars autem balliviæ Ensisheimensis, dominium Hohenlandspergense et austriaca dominii Rappolsteinensis feuda a reliquis omnino sejuncta erant. Itidem austriaca hujus dominii feuda non omnia in unum coibant, sed intermixta erant territoriis ob quæ domini de Rappolstein aliorum seniorum quam Habsburgiorum vasalli erant (2).

Non universam regionem Superiorem Alsatiam dictam Landgraviatus Superioris Alsatiæ amplectebatur. Insuper, solis immediatis statibus notatis, in hac regione inerant : libera civitas Milhusina, ab anno MDXV Helveticæ fœderationis socia; liberæ civitates Colmar, Turckheim, Kaysersberg et Münster in Valle Sancti Gregorii, Decapolitanæ fœderationis partes ; comitatus Horburgensis, qui ad domum Wurtembergicam spectabat ; emunitas Rufacensis (mundat de Roufach), quæ ad episcopatum Argentinensem pertinebat ; imperialis abbatia Murbacensis ; denique imperialis abbatia Vallis Sancti

[1] In jam dicto memoriali Colbert de Croissy balliviam Bergheimensem tantum memorat.

[2] Excepta tamen villa Balgau, quæ agro vel balliviæ Ensisheimensis vel dominii Landserensis adjacebat.

Gregorii (Münster-au-val-Saint-Grégoire), cujus ceterum tunc perexiguum erat territorium.

Habsburgii titulum aut Landgravii Superioris Alsatiæ, aut Landgravii Alsatiæ indiscriminatim prætendebant. Titulus autem parum intererat. Superioris Alsatiæ Landgravii nullum pristinæ landgravialis jurisdictionis in totam regionem Superiorem Alsatiam vocatam vestigium, sæculo XVII incipiente, servaverant; et Habsburgii, utpote Landgravii, nusquam alibi quam in propriis suis possessionibus landgraviali auctoritate fruebantur.

Notandum tamen quædam jura, plus minus definita, in quosdam Superioris Alsatiæ immediatos status penes illos fuisse; sed hæc jura non landgravialis jurisdictionis appendix et vestigium erant. Liberæ et imperiales civitates Colmar, Turckheim, Kaysersberg et Münster in Valle Sancti Gregorii Præfecturæ provinciali obnoxiæ erant, quæ ab anno MDLXIII, pignoris causa, Austriacæ domus erat. Itidem imperialis abbatia Vallis Sancti Gregorii (1).

Abbatiæ Murbacensis advocati, sæculo XII et XIII, Habsburgii fuerant. Quod jus advocatiæ verisimiliter obsoleverat, ita ut quibusdam (2) visum sit arbitrandum esse abbatiam illud, possessionibus suis partim cessis, redemisse. Utique nullum remansit vestigium pacti quo Habsburgii hoc advocatiæ jure se abdicassent; itaque Ludovicus XIV, in illorum jura succedens, huc adduci poterat ut advocatiam in abbatiam Murbacensem ad utilitatem suam renovaret (3). Ceteroquin

1 De Præfecti juribus, v. infra, p. XXIII et seq.

2 *Die Alten Territorien des Elsass*, p. LVII.

3 In jam dicto memoriali Colbert de Croissy abbatiam Murba-

animadvertendum Habsburgios, sæculo XVII incipiente, studuisse ut abbatiam illam in rem familiæ suæ propriam verterent. Etenim Leopoldus archidux Austriæ, jam ab anno MDCVII episcopus Argentinensis electus, præterea abbas Murbacensis a MDCXIV factus est; et in utrumque beneficium a. MDCXXIV successit nepos ejus, Leopoldus-Guilhelmus archidux, qui a. MDCLXII tantum obiit.

Emunitatis Rufacensis pariter advocati sæculo XIII Habsburgii fuerant : sed Rudolphus de Habsburg advocatiam episcopatui Argentinensi a. MCCLXIX restituerat; attamen « provocationem... et transitum innoxium per emunitatis terras sibi et posteris suis » servaverat (1).

Denique in agro urbis Sanctæ Crucis (germanice *Heilig-Kreuz*), quæ Habsburgiorum olim fuerat et ad civitatem Colmariensem a. MDCXLVIII spectabat, illi « præter tributum (Landsteuer) », « transitum » et « provocationem ad tribunalia » sibi servaverant (2).

III

Hasburgios notavimus Landgravii Alsatiæ titulum nonnunquam prætendisse. Et revera in Inferiore sicut

censem reipsa annumerat inter beneficia quæ « in protectione Regis, utpote Landgravii Alsatiæ, sunt » : ceterum non indicat quomodo hæc « protectio » expromenda sit.

1 Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, Periodus germanica, sectio I, § CXLVI.

2 Ibid., § CXLIII. — Cf. *Die Alten Territorien des Elsass*, p. LXXVI, nota II.

in Superiore Alsatia terras hereditario jure possidebant. Ceterum eorum in Inferiore Alsatia patrimonium mediocriter amplum erat. Duo tantum amplectebatur dominia : Weilerthal (val de Villé) vel Albrechtsthal, et Kœnigsburg vel Hoh-Kœnigsburg (1).

Sed non illi domus Austriacæ patrimonio titulus Landgravii in Inferiore Alsatia inhærebat. Inferioris Alsatiæ Landgraviatus reliquiæ, post multas partes distractas, a domo Œttingenensi episcopo Argentinensi, Johanni de Lichtenberg, inter annos MCCCLVIII et MCCCLX venditæ erant, et postea Wenceslaus imperator episcopum Fredericum de Blanckenstein Landgravii Inferioris Alsatiæ titulo et juribus inhærentibus a. MCCCLXXXIV ornaverat (2). Abhinc Inferioris Alsatiæ Landgraviatus immediato episcopatui Argentinensi connexus erat, et propter ea episcopus Argentinensis Landgravii Inferioris Alsatiæ, vel interdum et ipse Landgravii Alsatiæ titulum præ se ferebat ; et inter vasallos erant qui episcopo et qui Landgravio obnoxii erant.

Exiguæ erant Inferioris Alsatiæ Landgraviatus possessiones. Amplectebantur tantum : castrum Werde ; urbem Erstein, ab episcopo magno capitulo assignatam ; villas Bietlenheim et Hœrdt, quæ, in ballivia Brumatensi (3) sitæ et comitibus de Hanau-Lichtenberg infeudatæ erant ; dimidium villæ Obenheim (altera pars

[1] In jam sæpe memorato memoriali Colbert de Croissy « Val de Villé, Scherrweiler et Orschweiler » enumerat. Villa Scherrweiler dominii vallis de Villé pars erat, at extra vallem ipsam sita. Villa Orschweiler sola totum dominium Kœnigsburgense efficiebat.

[2] Investituræ litteras v. in Laguille, *Histoire de la province d'Alsace*, Preuves, p. LXIV.

[3] Quæ dominii Lichtenbergensis pars erat.

equestris familiæ Bœcklinensis erat), in ballivia Benfeldensi sitæ, quod familiæ equestri Bockensi infeudatum erat. Exigua illa territoria non alterutris cohærebant.

Domini de Œttingen, dum Inferioris Alsatiæ Landgraviatus reliquias abalienaverunt, sibi tamen servaverunt dominium directum in comitatum Uffriedensem (Riedgau), cujus caput urbs Beinheim erat, et qui undecim villas amplectebatur. Domini de Œttingen autem prædicti comitatus dominium utile dominis de Fleckenstein a. MCCCLIX infeudaverunt, et, Fleckensteiniis flagitantibus, investituram illam Carolus IV imperator a. MCCCLXXII firmavit (1). Postea Imperatores, Œttingeniis haud assentientibus, jus immediate infeudandi comitatus Uffriedensis sibi arrogaverunt (2). Pars illa prioris Landgraviatus Inferioris Alsatiæ agri inter dominos de Fleckenstein et margravios de Baden-Baden a. MDCXLVIII bipertita erat.

Domus Austriacæ patrimonium et Landgraviatus ager exiguam tantum regionis Inferioris Alsatiæ dictæ portionem amplectebantur. Major ejusdem regionis pars, notatis tantummodo statibus immediatis, partita erat inter liberam civitatem Argentinensem; liberas civitates Schlestadt, Oberenheim (Obernai), Rosheim, Haguenau, Wissembourg et Landau, Decapolitanæ fœderationis socias; episcopatum Argentinensem; imperialem abbatiam Andlaviensem; episcopatum Spirensem; comitatum Hanau-Lichtenbergensem; dominium Fleckensteinense; Palatinam, Leiningenensem Lotharingi-

[1] Laguille, *Histoire de la province d'Alsace*, Preuves, p. LIX et LXIV.

[2] Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, periodus germanica, sectio I, § CCCCXLVIII; — *Die Alten Territorien des Elsass*, p. CXLIX.

camque domos; denique nobilitatem equestrem (germanice *Reichsritterschaft*).

Duorum Landgraviorum qui in Alsatia erant solus Inferioris Alsatiæ Landgravius landgravialis auctoritatis particulam extra possessiones suas servaverat. Alsatia et præsertim inferiore ejus parte in multos status divisa, necesse erat ut hi, si quid communis periculi immineret, de communi defensione inter se convenirent; inde provincialia comitia (germanice *Landstage*), quibus regionis status (germanice *Landstände*) publicæ securitati providebant. In Inferiore Alsatia præsertim hæc comitia sæpe congregabantur. Episcopi Argentinensis autem, utpote Landgravii, vel, eo absente, vicarii ejus erat Inferioris Alsatiæ comitia convocare eorumque consultationibus præesse. Nonnunquam tamen a Præfecto Haganoënsi in concionem vocabantur (1).

Inter *probationes* (2) quæ *Historiæ provinciæ Alsatiæ* additæ sunt, Laguille quorumdam provincialium comitiorum conclusa edidit; scilicet Inferioris Alsatiæ a. MDXVI et MDXVII, Alsatiæ a. MDXLIV, denique Inferioris Alsatiæ comitiorum mensibus aprili, octobri et novembri anni MDCXXV congregatorum. Ex illis comperimus hæc comitia, etiamsi Inferioris Alsatiæ status soli convocabantur, diverse pro tempore composita

[1] Laguille, *Histoire de la province d'Alsace*, pars II, p. XXV ; et Preuves, p. CXIV-CXXVII ; — Gyss, *Histoire de la ville d'Obernai*, t. II, p. XI-XII ; —Reuss, *L'Alsace au XVII^e^ siècle*, t. I, p. CCLXXIX et seq ; et p. CCCLXXXIV. — Cf. Meiern, *Acta Pacis Westphalicæ*, t. IV, p. DCCXX : Memoriale ab episcopo Argentinensi, Leopoldo-Guilhelmo archiduci, a. MDCXLVII, editum et Osnabrugensi conventui delatum.

[2] P. CXIV-CXXVII.

fuisse. Episcopus Argentinensis Præfectusque Haganoënsis vel ipsi vel per vicarium omnibus comitiis interfuerunt quorum conclusa Laguille edidit. Ille in conclusis comitiorum a. MDCXXV coactorum nomen « Directoris Inferioris Alsatiæ et cujus est ejus concilia congregare » prætendit. Decem civitates, quæ Decapolitanæ fœderationis sociæ erant, in comitiis a. MDXVI, MDXVII et MDXLIV convocatis legatos habuerunt; eæ tantum quæ in Inferiore Alsatia sitæ erant, sex scilicet, comitiis a. MDCXXV coactis interfuere. Civitas Argentinensis a. MDXVI et MDXVII, haud a. MDXLIV et MDCXXV in comitia legatum misit. Comites Palatini, ad quos comitatus Lutzelsteinensis spectabat, vel ipsi vel per vicarium omnibus comitiis, a. MDXLIV excepto, interfuerunt: itidem comites de Hanau-Lichtenberg et barones de Fleckenstein. Equestris Inferioris Alsatiæ nobilitas (Reichsritterschaft) haud a. MDXVI, MDXVII et MDXLIV, at a. MDCXXV legatos in comitia misit : itidem comites de Leiningen (gallice *Linange*) (1).

Diximus Inferioris Alsatiæ Landgraviatum a patrimo-

[1] In judicio die IX augusti a. MDCLXXX lato Superius Consilium Brisacense advocati generalis sequens argumentum suum facit : « Par un acte étant dans les registres ou protocoles de la ville de Schlestadt, il se voit que, le 20 mai 1625, les États de la Basse Alsace, convoqués par l'archiduc Léopold, évêque de Strasbourg, en ladite ville de Schlestadt, pour affaires qui concernaient le bien de la province, ledit archiduc Léopold, les doyen, chanoines et chapitre de la cathédrale de Strasbourg, le prince palatin de Lutzelstein ou de la Petite Pierre, les comtes de Hanau, de Linange, les barons de Fleckenstein, et généralement tous les gentilshommes de la Basse Alsace y comparurent en personne ou par députés, comme faisant partie de ladite province et du Landgraviat de la Basse Alsace. »

nio quod in Inferiore Alsatia domus Austriaca possidebat, secerni. Notemus tamen Habsburgios, sæculo XVII incipiente, studuisse ut episcopatum Argentinensem et ita Inferioris Alsatiæ Landgraviatum episcopatui connexum in patrimonium verterent, sicuti Bavarica domus, jam ab anno MDLXXXIII, archiepiscopatum Coloniensem. Leopoldus archidux, Ferdinandi II imperatoris frater, episcopus Argentinensis a. MDCVII electus est; et, cum beneficiis suis se abdicavit, ut matrimonio jungeretur et Œnipontanum comitatum, Brisgoviam, Alsatiæ Landgraviatum Præfecturamque provincialem ab Imperatore, fratre suo, reciperet (1), episcopatum Argentinensem Leopoldo-Guilhelmo archiduci, nepoti suo, tradidit, qui tunc annos tredecim tantum natus erat, et eamdem sedem usque ad obitum a. MDCLXII obtinuit.

Quæri licet an per vocabula « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ » aut « Landgraviatus utriusque Alsatiæ et Suntgoviæ » instrumenti pacis capita LXXIII et LXXIV Inferioris simul ac Superioris Alsatiæ Landgraviatum, solumve Austriacæ domus in Superiore et Inferiore Alsatia patrimonium tradiderint. Revera ambigua erant verba. Itaque Leopoldus-Guilhelmus archidux, Argentinensis episcopus, ut jura servaret quibus ipse, quippe Inferioris Alsatiæ Landgravius, fruebatur, in memoriali conventui Osnabrugensi die XXX augusti a. MDCXLVII dato (2) petiit ut in capite LXXIII, post verba « Landgraviatum Superioris et Inferioris Alsatiæ », adjicerentur hæc « Salvo jure episcopatus Argentinensis ». Ejus autem rogatio frustra fuit;

[1] A. MDCXXXII obiit, nec in locum ejus, utpote Præfecti Haganoënsis, ullus successit.

[2] Meiern, *Acta*....., *loc. cit.*

et propter ea futuris Ludovici XIV vendicationibus fores tractatus pacis aperiebat. Ignotus auctor memorialis quod inscribitur « Histoire de la satisfaction accordée à la France par le traité de Münster » et a. MDCXLIX conscriptum est, illud satis aperte significat : « Alberti (1) comitis de Habsbourg progenies, aït, quæ paulo post nomen Austriacæ prætendit, Superioris Alsatiæ Landgraviatum possedit et Inferioris quoque Landgraviatum acquisivit, quibusdam feudis exceptis, quæ comites de Œttingen episcopatui Argentinensi vendiderunt ; unde episcopi Landgravii Alsatiæ nomen sibi vindicarunt, sicuti nunc adhuc vindicant. »

Attamen ex jam dicto memoriali a Colbert de Croissy conscripto non apparet Ludovicum XIV Inferioris Alsatiæ Landgraviatum ulterius sibi asserturum. Breviter contrahens quæ rex in Alsatia vel Brisgovia modo acquisierat, scribebat : « Sua Majestas, secundum Monasteriensem tractatum, nunc urbe et oppido Brisaco et quatuor villis connexis, et omnibus supradictis terris in Inferiore ac Superiore Alsatia sitis (id est jam dictum vetus Austriacæ domus patrimonium), in totum XVIII parvis urbibus et CCCCLXI villis, comprehensis villis quæ Præfecto Haganoënsi obnoxiæ sunt, cum absoluta supremitate quiete fruitur. Præterea Suæ Majestatis ampla sunt jura in Decem Civitates quæ Præfecturam provincialem Haganoënsem agnoscunt. »

[1] Albertus II, Dives, qui a. MCXCIX obiit. — Hic locus cum veritate haud omnino concurrit ; at Ludovici XIV ministeriales jam a. MDCXLIX demonstrat propensos ad explicanda in latiorem partem hæc verba « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ ».

IV

Præfectura provincialis nec regio, sicuti Suntgovia, erat, nec status, sicuti Superioris Alsatiæ Landgraviatus, sed munus, jure temporarium, at ab anno MDLXIII Austriacæ domui impignoratum et abhinc revera ejusdem patrimonium factum. Præfecti auctoritas Decem Civitates, quæ ab anno MCCCLIV Decapolitana fœderatione nexæ erant, singulatim attingebat. Sed harum civitatum universitas non provinciam circumscriptam, Præfecturam provincialem vocatam, fingebat. Econtra per Alsatiam dispersæ erant; quinimo de una, scilicet Landau, disceptabatur utrum intus an extra Alsatiam esset.

Alias (1) monstravimus quibus juribus Præfectus, qui ipse aut ejus vicarius Haganoam colebat, in Decem Civitates frueretur. Illa jura, haud civitates ipsas (de hoc sæpe erratum est) capita LXXIII et LXXIV Ludovico XIV, per hæc vocabula « Præfecturamque provincialem Decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum », aut hæc « tum etiam Præfectura provincialis in dictas Decem Civitates », tribuebant.

Præfectus autem aliis juribus ornatus erat atque iis quæ Decem Civitates agnoscebant. Fere quadraginta imperialibus villis, plerisque juxta Haganoam, nonnullis juxta Kaysersbergum sitis, et parte Haganoënsis, Sacræ dictæ, sylvæ privatim fruebatur. Hæ villæ, et quæ prope Haganoam et quæ prope Kaysersbergum erant,

[1] *La question des Dix Villes impériales d'Alsace.*

non in unum coibant. Eæ tamen quæ Kaysersbergo contiguæ erant, dominio Hohlandspergensi simul adjacebant.

Præfectus civitatis Haganoënsis imperialem scultetum (germanice *Reichsschulz*) legebat et judicio provinciali (germanice *Landgericht*) præficiebat, quod jus dicebat non tantum in urbe et propinquis imperialibus villis, sed etiam in nonnullis locis, vel ad comites de Hanau-Lichtenberg, vel ad barones de Fleckenstein spectantibus, imperialibus ceterum villis contiguis aliquandoque intermixtis (1).

Scultetum quoque Weissenburgensem (germanice *Stattvogt*) inter tres candidatos a civitate prolatos Præfectus eligebat. Judicium cui ille præerat non in urbe tantum, sed etiam in emunitate (mundat) Weissenburgensi jus dicebat (2). Emunitas autem, quæ quatuor tantum villas, cis et ultra flumen Lauter sitas, sæculo XVII amplectebatur, ad capitulum (antea abbatiam) Weissenburgense spectabat, quod ipsum episcopatus Spirensis erat, at Præfectum protectorem agnoverat.

Præfectus enim protectionis officio in multa beneficia (3) per utramque Alsatiam fungebatur; inter quæ præsertim diversa monasteria quæ in Sacra Sylva, prope Haganoam, ædificata erant, scilicet : abbatiam Neoburgensem; abbatiam Sanctæ Waltpurgi dedicatam, quæ ad capitulum Weissenburgense spectabat; abbatiam Bibliesheimensem; deniqne abbatiam Regiopontanam

[1] Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, periodus germanica, sectio I, § DCLXIV.

[2] Ibid., § DC[illegible]XX.

[3] Haud omnia in jam dicto memoriali a Colbert de Croissy memorantur.

(germanice *Kœnigsbrück*). Præterea præfectoriali protectioni obnoxia erant: hospitium Stephansfeldense, in agro comitatus Hanau-Lichtenbergensis et prope Brumath situm; abbatia Sturzelbrunensis, in dominio Bitschensi et prope occidentalem septentrionalemque Alsatiæ finem sita; monasterium Ebersheimense (germanice *Ebersheimmünster*), in terris episcopatus Argentinensis et prope Benfeldam situm; abbatia Alspacensis, Kaysersbergo contigua.

Prædictorum beneficiorum nullum immedietate fruebatur. Ex officio protectionis quo in illa fungebatur Præfectus jura pro singulo verisimiliter diversa manabant. Plerumque (1) Præfectus tributum, « protectorium vectigal » dictum, cogebat; Præfecto tantum aut vicario ejus præsente, monachi aut monachæ abbatem abbatissamve jure eligere poterant; jus sæculare in terris abbatiæ Præfectus dicebat (2).

Inter beneficia quæ præfectoriali protectioni obnoxia erant, duo tantum immedietate fruebantur : monasterium in Valle Sancti Gregorii, Sancti Benedicti ordinis, et capitulum (antea abbatia) Weissenburgense ad episcopatum Spirensem spectans. In monasterium Vallis Sancti Gregorii juribus diversis et sæpe haud exacte

[1] Inter illa jura quædam peculiaria erant : monasterium enim nonnullos venaticos canes ad Præfecti utilitatem alere interdum debebat : quod dicebatur « mise de chiens ».

[2] Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, periodus germanica, sectio II, § CCLXIV, CCLXVII, CCLXX ; — *Die Alten Territorien des Elsass*, p. CLXII. — V. quoque B. N., fonds français, n° 11.474, *Mémoire sommaire des droits du grand bailliage d'Haguenau* et *Traité de la Préfecture provinciale des Dix Villes impériales d'Alsace*; sicuti sæpe dictum memoriale a Colbert de Croissy de Alsatia conscriptum.

definitis, quæ ex patronatu manabant, Præfectus utebatur. Litium inter abbatiam et Decem Civitates, præsertimque civitatem Monasteriensem, cognitionem Præfectus exercebat. Hic quoque in agro alioquin perexiguo abbatiæ jus sæculare dicebat. Ab hoc tandem, sæculo XVI desinente vel sæculo XVII incipiente, simul ac ab episcopo Basileensi, cujus spiritualem jurisdictionem monasterium agnoverat, sæpe abbatem aut procuratorem abbatiæ præfectum fuisse, et ab eodem abbate vel procuratore administrationis suæ rationem fuisse petitam; immo abbatem quemdam abbatiæ res male gerentem vituperatum, et alium rationem reddere abnuentem in carcerem conditum fuisse; denique illi abbatiam reformandam curæ fuisse, audimus (1).

Jurum quibus in capitulum Weissenburgense Præfectus frueretur, parum gnari sumus. Scimus tantum fidelitatis juramentum ab abbate Weissenburgensi Præfecto olim præstandum fuisse. Scimus quoque Palatinum electorem, utpote Præfectum et dicti capituli patronum, ejusdem capituli episcopatui Spirensi annectendi auctorem fuisse, et curavisse ut imperator Carolus V et papa Paulus III huic junctioni assensum præberent (2).

[1] Dom Calmet, *Histoire de l'abbaye de Münster*, p. CXLI, CLV-CLVI, CLVIII-CLIX, CLXIV, CLXIX-CLXXII, CLXXIV, CLXXVI, CLXXVIII; — Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, periodus germanica, sectio I, § DCCLX; sectio II, § CCLII, CCLXVIII, CCLXX. — V. quoque: *Traité de la Préfecture provinciale des Dix Villes impériales d'Alsace*, et jam dictum a Colbert de Croissy compositum memoriale. — Cf. appendicem.

[2] Rheinwald, *L'abbaye et la ville de Wissembourg*, p. CCXL-CCXLVII et CCCCLXXIX; — Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, periodus germanica, sectio I, § CCCVIII; — *Die Alten Territorien des Elsass*, p. CLXII-CLXIII.

Notemus denique civitatem Milhusinam, quæ ab anno MDXV Helveticæ, sed antea Decapolitanæ fœderationis socia erat, « protectorium vectigal » a. MDCXLVIII adhuc Præfecto solvere (1).

V

Non alsatica tantum jura et terræ, quæ vocabulis « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ », « Suntgoviæ » et « Præfecturæ provincialis » indicabantur, Ludovicus XIV sibi parabat. Etenim ex instrumenti pacis Monasteriensis capite LXX « Episcopatus Metensem, Tullensem et Virodunensem, Urbesque cognomines, eorumque Episcopatuum districtus » cum « supremo dominio » et « juribus superioritatis » acquirebat. Hæc dubia vocabula « eorumque Episcopatuum districtus », nolentibus Cæsareis legatis, instanter rogantibus Gallicis, prædicto capiti intexta erant. Quibus autem multæ vindicationes ulterius permitti poterant. Etenim Gallici legati hac arte regi semet servasse putabant « prætensionem ad supremitatem non tantum in vasallos Trium Episcopatuum, sed etiam in omnes status qui in spiritualibus districtibus, scilicet in prædictorum Episcopatuum diœcesibus, continebantur (2) ».

1 *Mémoire sommaire des droits du grand bailliage d'Haguenau*; — Reuss, *L'Alsace au XVII^e siècle*, t. I, p. DXXIV, nota I.

2 *Histoire de la satisfaction......* — Cf. memoriale quod inscribitur *Conspectus totius transactæ cessionis pro satisfactione gallica* (A. A. E., *Correspondance, Allemagne*, t. 126, f° 527), et litteras

Etiamsi rex per vocabula « districtus » Trium Episcopatuum feuda tantum vindicaturus esset, hoc non sine cura quibusdam Alsaticis statibus esse debebat. Nonnulla enim episcopatus Metensis feuda Alsatia amplectebatur.

Comitatus Hanau-Lichtenbergensis, unus ex amplissimis Alsaticis statibus, ex Imperialibus, Moguntiacensibus, Argentinensibus, Murbacensibus denique Metensibus feudis constabat. Longe autem aberat ut ex unoquoque seniore pendentia feuda parvam provinciam plane cohærentem circumscriptamque fingerent ; adeo ut vel alterutris, vel aliis Alsaticis dominiis mirabiliter intermixta essent. Comitatus ille Buxvillerensem, Ingvillerensem, Pfaffenhofenensem, Brumatensem, Wœrtensem, Offendorfensem, Hattenensem (Hattgau), Niederbrunensem, Wolfisheimensem, Westhofenensemque ballivias continebat. In ballivia Buxvillerensi, urbs Buxviller, item castrum et sex villæ inde dependentes Metensis episcopatus feuda erant; at una ex villis,

Gallicorum legatorum die XVII septembris a. MDCXLVI datas (*Négociations secrètes touchant la paix de Münster et d'Osnabrück*, t. III, p. CCXCIX). — Gallici legati, Monasterium missi, haud sane ignari erant Metensia feuda in Alsatia esse: v. memoriale quod verisimiliter a. MDCXXXII aut MDCXXXIII datum est et inscribitur *De l'Alsace et les seigneuries qu'elle contient.* (A. A. E., *Correspondance, Allemagne*, t. 19, f° 150); cf. Reuss, *L'Alsace au XVII^e^ siècle*, t. I, p. LXVIII. Ceteroquin Metense parlamentum, jam ab anno MDCXXXIV creatum, vel ante, vel post pacificationem Westphalicam, Trium Episcopatuum feudis perquirendis studuit : v. Meiern, *Acta.....*, t. III, p. DLXXXVI ; et *Mémoire des plaintes...* (A. A. E., *Correspondance, Allemagne*, t. 130, f° 308) in fine. Arbitrium, rogante dieta, annuente rege, a. MDCLXV statutum litem non tantum de Decem Civitatibus, sed etiam de Trium Episcopatuum vasallis componere debebat.

Dürningen, partim Imperiale, partim Metense feudum erat. In ballivia Brumatensi duæ villæ, scilicet Mittelhausen et Eckwersheim, Metensia feuda erant : e tertia quadam, Geudertheim, partim Imperiale, partim Metense feudum existebat. Ballivia Wolfisheimensis villas duas tantum amplectebatur : una, Hangenbieten, allodium, altera, Wolfisheim, Metense feudum erat. Denique in ballivia Westhofenensi episcopatus Metensis pariter feudum erat castrum Ochsenstein cum quinque villis inde dependentibus (1).

Inter territoria quæ comites de Leiningen in Alsatia possidebant nonnulla quoque Metensia feuda erant. Ad Leiningenensem domum, in multos ramos divisam (2), comitatus Dagsburgensis (gallice *Dabo*), cujus quidem major pars in occidentali Vosagi montis latere patebat, balliviaque Oberbrunensis spectabant. Comitatus Dagsburgensis tres villæ in Metensi diœcesi sitae erant, et inter eas Elbersweiler, in qua Metensis episcopus patronatus et judicii jure fruebatur (3). In ballivia Oberbrunensi villa Urweiler Metense feudum erat.

Villa Furchausen, prope Tabernas Alsatiæ sita, Metense feudum erat, comitibus de Hanau-Lichtemberg concessum et ab ipsis familiæ cuidam equestri subinfeudatum. Contigua villa Althenheim pariter Metense feudum et uni ex equestribus Inferioris Alsatiæ nobilibus infeudatum erat.

[1] Notandum parlamenti Metensis « reunionum » cameram, dum Superius Consilium Brisacense totum comitatum Hanau-Lichtenbergensem, quippe Inferioris Alsatiæ Landgraviatus partem, annectebat (per judicium die IX augusti a. MDCLXXX datum), item quasdam ejusdem comitatus alsaticas terras, quippe Metensia feuda, annexuisse (Léonard, *Recueil des traités......*, t. VI).

[2] V. infra, p. XLIV.

[3] Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, Periodus germanica, sectio I, § CCCLII.

VI

Hæc sunt quæ in Alsatia vindicare poterat Ludovicus XIV, innisus et capitibus LXXIII et LXXIV pacti Monasteriensis, quibus ei tribuebantur « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgovia, Præfecturaque provincialis Decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum », et capite LXX, quo ei tradebantur « Episcopatus Metensis, Tullensis et Virodunensis », « eorumque Episcopatuum districtus ».

Perspiciamus nunc capitis LXXXVII tenorem, cujus hæc verba sunt : « Teneatur Rex Christianissimus, non solum Episcopos Argentinensem et Basileensem, cum Civitate Argentinensi, sed etiam reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos ordines, Abbates Murbacensem et Luderensem, Abbatiam Andlaviensem, Monasterium in Valle Sancti Gregorii Benedictini ordinis, Palatinos de Lutzelstain, Comites et Barones de Hanau, Fleckenstain, Oberstain, totiusque Inferioris Alsatiæ nobilitatem, item prædictas decem Civitates Imperiales quæ Præfecturam Haganoënsem agnoscunt, in ea libertate et possessione immedietatis erga Imperium Romanum qua hactenus gavisæ sunt, relinquere : ita ut nullam ulterius in eos regiam superioritatem prætendere possit, sed iis juribus contentus maneat quæcumque ad Domum Austriacam spectabant et per hunc pacificationis tractatum Coronæ Galliæ ceduntur. Ita tamen ut præsenti hac declaratione nihil detractum intelligatur

de eo omni supremi dominii jure quod supra concessum est. »

Num caput illud cum capitibus LXXIII et LXXIV dissidet ? Minime. Consideremus enim primam ejusdem partem usque ad verbum *relinquere*. Status qui in ista parte nominatim memorantur per verba capitum LXXIII et LXXIV Regi Christianissimo nullo modo traduntur. Diximus quis esset Landgraviatus Superioris Alsatiæ et Suntgovia, Landgraviatus Inferioris Alsatiæ, denique Præfectura provincialis Decem Civitatum imperialium. Diximus quoque quæ essent Alsatica Metensis episcopatus feuda. Comperimus « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, Præfecturæque provincialis » acquisitionem, adjunctis etiam Alsaticis terris quæ in episcopatus Metensis « districtu » inerant, haud perinde valere tanquam universæ Alsatiæ, silicet geographicæ regionis, parationem ; at per hæc diversa vocabula Ludovico XIV tradita esse et quædam territoria satis certe terminata, et quædam, non in omnes, sed in nonnullos ex statibus in capite LXXXVII memoratis minus definita jura ; denique regem, dum hæc jura consequebatur, haud civitates, dominia beneficiaque acquisivisse, quæ illis juribus attingebantur.

Propter ea dici nequit primam capitis LXXXVII partem prioribus capitibus pactam cessionem contrahere. Revera illo capite tantum plane explicatur quod in capitibus LXXIII et LXXIV tacite continetur ; quum hæc, dum « Landgraviatum Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviam, Præfecturamque provincialem » Ludovico XIV tradebant, non status simul in capite LXXXVII memoratos in ditionem ejus redigebant.

Ceteroquin animadvertendum prima ejusdem capitis

parte non pangi : « E terris antea per verba « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, Præfecturæque provincialis » cessis excipiuntur hi atque illi status, qui sunt........» ; sed, quod multum abest : « Teneatur Rex Christianissimus hos atque illos status in ea libertate et possessione immedietatis erga Imperium Romanum qua hactenus gavisi sunt, relinquere (1). »

Immedietas signis externis intelligebatur, quæ talia erant : immediati status ad imperialia comitia legatos mittebant et in imperiali matricula inscribebantur. Certa quædam emolumenta quoque ferebat : immediati status libertate sæpe amplissima fruebantur, et non alius atque Imperatoris Imperiive auctoritati ad extremum obnoxii erant.

Prima igitur capitis LXXXVII parte pangitur ut status ibidem memorati et externis signis et certis emolumentis immedietati inhærentibus, sicuti antiquitus, fruantur ; unde notandum est nihil detrahi de iis juribus quæ rex, utpote « Superioris et Inferioris Alsatiæ

[1] Cf. pacti Ryssvicensis caput IV quo pangitur : « Restituentur imprimis Sacræ Cæsareæ Majestati et Imperio ejusque statibus et membris a Sacra Regia Majestate Christianissima quævis, tam durante bello et via facti, quam unionum nomine, occupata loca et jura quæ *extra Alsatiam sita*, aut in indice reunionum a Legatione Gallica exhibito expressa sunt. » Hic aguntur quædam terræ restituendæ, exceptis iis quæ in Alsatia sitæ sunt, et satis apparet hocce caput longe aliter ac pacti Monasteriensis caput LXXXVII conscriptum. — Jamdiu animadversa sunt hæc verba « gavisæ sunt », quæ ad Decem Civitates postremo memoratas respicere videntur. In prima a Gallicis Cæsareisque legatis die XIII septembris a. MDCXLVI conscripta pactione legitur « gavisi sunt ».

Landgravius » aut « Haganoënsis Præfectus », in eos vindicare poterat : ita ut, et quod ad istud attinet, non contrahantur priores cessiones. Ad summam capitis LXXXVII exordio nihil aliud pangitur quam ut generaliter Alsatica omnia in eodem statu quo ante bellum exortum relinquantur, præterquam quod rex in locum pristinorum « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgoviæ, Præfecturæque provincialis » possessorum subrogetur.

Ceteroquin si prima capitis LXXXVII parte Alsatiæ integræ cessio antea facta reipsa aut specie contraheretur, in indice satuum qui aut excipiuntur, aut excipi videntur, Alsatici tantum includendi essent. At non ita res est. Etenim inter status capite LXXXVII memoratos annumerantur duo qui non in Alsatia jacebant : id est abbatia Luderensis, in Burgundico comitatu (vulgo *Franche-Comté*) sita, et dominium Obersteinense, prope septentrionalem Lotharingiæ partem et ad flumen Nahe situm. Quorum nomina in prædicto indice non insererentur, si hoc indicarentur quæ ex cessionibus in Alsatia supra factis detracta habenda essent.

VII

Diligentius autem primam capitis LXXXVII clausulam inspiciamus. Nemo non animadvertet quomodo illa conscribatur. Haud dicitur enim : « Rex Christianissimus status antea immediatos in possessione ejusdem immedietatis erga Romanum Imperium relinquet »,

adjuncto, si opus erat, horum statuum indice ; sed : « Rex Christianissimus *non solum* Episcopos Argentinensem et Basileensem, *cum* Civitate Argentinensi, *sed etiam* reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos ordines..., *item* prædictas Decem Civitates in possessione immedietatis erga Imperium Romanum relinquet. » Hæc sententiæ structura tantum explicatur, si noscitur quid de « satisfactione gallica » inter Gallicos Cæsareosque legatos a. MDCXLVI actum sit.

Jam in mense aprili de prædicta « satisfactione », paucis rebus exceptis (1), consentiebant. In memoriali enim, die XIV aprilis dato, Cæsarei legati hocce proferebant (2) : « Cæsareani, nomine Suæ Majestatis, consentiunt ut Alsatia Superior et Inferior cum Suntgovia, titulo Landgraviatus Alsatiæ, *eo plane jure quo hactenus a domo Austriaca possessus fuit*, Regi Christianissimo cedat » ; at jam sub ea conditione « ut omnes status et ordines, quicumque per Superiorem et Inferiorem Alsatiam ante hoc bellum immediate Imperio subjecti erant, sive ecclesiastici, sive sæculares essent, cujuscumque ordinis et dignitatis, in pristinum restituerentur statum, suæque libertati et immedietati erga Romanum Imperatorem Sacrumque Romanum Imperium relinquerentur. »

Sed hoc non inter eos convenerat utrum rex terras juraque cessa pro Imperii feudo, an cum omnimoda supremitate reciperet. Alias monstravimus (3) Gallicos ministros illa pro Imperii feudo recipere haudquaquam

[1] Oppidi Brisaci et præsidii in castro Philipsburg cessione.

[2] Adamus Adami, *Arcana pacis Westphalicæ*, p. CCXXXIV ; — Meiern, *Acta....*, t. III, p. VI.

[3] *La question des Dix Villes impériales d'Alsace.*

gravatos esse; majorem Imperii statuum partem hunc exitum ob varias causas optasse ; domui vero Austriacæ expedivisse ut illa cum omnimoda supremitate regi traderentur, ne hic propter Alsaticas possessiones Imperii pars fieret. Itaque in altero memoriali, die XXVI maii dato, Cæsareani hæc obtulerunt (1) : « Consentit Imperator, pro se et tota Augustissima Domo Austriaca, ut dictus Rex Ludovicus XIV......... Suntgoviam, Landgraviatum Alsatiæ Superioris una cum Brisaco, sicuti etiam Præfecturam provincialem Alsatiæ Inferioris.... libero allodii et proprietatis jure, cum omnimoda jurisdictione et superioritate, in perpetuum retineat, eo prorsus modo quo antehac a Domo Austriaca possidebantur, nullaque prorsus ratione ob hasce ditiones Sacro Romano Imperio obligatus aut subjectus esse intelligatur. » Præterea inter alia petierunt iterum ut « Teneretur *nihilominus* Rex Christianissimus status omnes et singulos, immediate Imperio per utramque Alsatiam subjectos, sive ecclesiasticos, sive sæculares, cujuscumque dignitatis, conditionis sive ordinis, in sua potestate et possessione immedietatis erga Romanum Imperium relinquere et restituere. »

His rogatis, Gallici legati jam die XXIX maii responderunt petieruntque (2) : « Ut omnia hæc (scilicet Tres Episcopatus, Alsatia Superior et Inferior cum Suntgovia) Regi, ejus successoribus et Coronæ Galliarum perpetuo permanerent, et in futurum ad Coronam eamdem omni tam proprietatis quam superioritatis jure pertinerent, libera solutaque a quovis genere subjectionis

[1] Adamus Adami, *Arcana.....*, p. CCXLIV-CCXLVI ; — Meiern, *Acta....*, t. III, p. XXXIV.

[2] Adamus Adami, *Arcana....*, p. CCXLVIII ; — Meiern, *Acta...*, t. III, p. XXXVIII-XXXIX ; — *Histoire de la satisfaction.....*

et dependentiæ fierent, et ut ad effectum declarationes tam Imperatoris et Imperii quam Domus Austriacæ in optima forma, sine ulla reservatione aut exceptione, exhiberentur, ***salvis tamen iis quæ in dictis provinciis ad Episcopos et Urbes Argentinæ et Basileæ spectabant.*** »

De hoc minime ambigebatur : at rogata Cæsareani abnuerunt. Tunc Galli ex his rebus aliquid remiserunt, et die XIV julii ultimas conditiones Cæsareanis per mediatores exhibuerunt. Supremitatem in Decem Civitates imperiales in Alsatia sitas, et perpetuum præsidium in castro Philipsburg nomine regis rogabant (1). Responderunt autem Cæsarei legati nec supremitatem in Decem Civitates, nec præsidium in castro Philipsburg, quæ sui non erant, Imperatorem tradere posse (2). Præterea mediatores providerunt ut Gallicos legatos monerent de invidia quam ipsi in Imperio movebant, dum quosdam immediatos Alsaticos status præsertimque Decem Civitates appetebant (3).

Denique transactum est. Archiepiscopus Trevirensis qui, utpote Spirensis episcopus, de præsidio in castro Philipsburg controversia præcipue contingebatur, speciali pacto (4) die XIX julii annuit se commissurum prædictum castrum regiæ « tutelæ protectionique », « cum tanto præsidio quantum ei videretur ». Illo annuente, sublata est præcipua causa ob quam Gallorum rogationem de castro Philipsburg Cæsareani asperna-

[1] Adamus Adami, *Arcana*......, p. CCLVII ; — Meiern, *Acta*...., t. III, p. XCII ; — *Histoire de la satisfaction*....

[2] Adamus Adami, *Arcana*....., p. CCLVII ; — Meiern, *Acta*....., t. III, p. XCIV-XCV ; — *Histoire de la satisfaction*.....

[3] *Histoire de la satisfaction*.....

[4] Bougeant, *Histoire du traité de Westphalie*, t. II, p. DXLII.

bantur : itaque die XXXI augusti de hoc cum Gallis tandem convenerunt (1). Hi autem, eo obtento, de Decem Civitatibus controversiam transegerunt, et professi sunt regem eodem protectionis jure in dictas civitates contentum futurum quod ad domum Austriacam antea spectabat; ea tantum conditione pacta ut rex jam dicto protectionis jure non pro Imperii feudo at independenter et cum supremo dominio frueretur (2).

Hujus operosæ tractationis diversa momenta in prima capitis LXXXVII clausula perspicue apparent. Gallici enim legati primum et frustra petierant ut Alsatia integra, exceptis iis quæ ad episcopos civitatesque Argentinensem et Basileensem pertinebant, regi traderetur. Hac autem clausula pangitur ut rex teneatur in possessione immedietatis erga Romanum Imperium « *non solum* Episcopos Argentinensem et Basileensem......, *sed etiam* reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos ordines » relinquere. Galli deinde rogaverant ut supremitas in Decem Civitates saltem ad regem transferretur, quod etiam denegatum est. Itaque eadem clausula pangitur ut rex teneatur « *item* prædictas Decem Civitates Imperiales » in possessione immedietatis erga Romanum Imperium « qua hactenus gavisæ sunt » relinquere.

Etsi Gallici legati jam die XXIX maii ipsimet obtulissent e terris regi cessis excipiendas esse eas quæ ad civitates Argentinensem Basileensemque spectabant, hæ non in indice capitis LXXXVII die XIII septembris a.

[1] Adamus Adami, *Arcana*....., p. CCLXX-CCLXXI ; — Meiern, *Acta*......, t. III, p. DCCXV.

[2] Meiern, *Acta*......, t. III, p. DCCXXVI.

MDCXLVI statuti inscriptæ sunt (1); quæ cur prætermissæ sint ignari sumus. Basilea quidem id non pensi habuit, cum profecto existimabat se, quippe Helveticæ fœderationis sociam, satis tutam. Argentina vero aliter judicavit : itaque, cum capita de « satisfactione Gallica », ratihabitionis causa, ad Imperii status delata sunt, per memoriale die XXII aprilis a. MDCXLVIII datum (2) petiit ut in indice capitis LXXXVII ipsa nominatim inscriberetur, idque impetravit. Unde fit ut in dicto capite usitetur hic loquendi modus « *cum* Civitate Argentinensi ».

Iis igitur quæ a Gallicis legatis vicissim appetita et ipsis denegata sunt explanatur quamobrem non tantum in universum pactum sit, sicuti Cæsareani per memorialia die XIV aprilis et die XXVI maii data petebant, ut rex teneretur in immedietatis possessione relinquere status qui per utramque Alsatiam hactenus immediate Imperio obnoxii erant, sed econtra visum sit necesse ut nominatim indicerentur status qui immedietate frui pergere debebant; et quare in eorum enumeratione includerentur hæc verba : *non solum,...... cum,..... sed etiam,...... item*.

VIII

Ceteroquin in indice capitis LXXXVII non inscribuntur omnes status qui in Alsatia a. MDCXLVIII exsistebant.

[1] Adamus Adami, *Arcana......*, p. CCLXXVII; — Meiern, *Acta......*, t. III, p. DCCXXVI : — *Histoire de la satisfaction......*

[2] Meiern, *Acta......*, t. V, p. CLXVIII.

Omnes equidem inscribuntur Alsaticæ liberæ civitates, Milhusa excepta. Notemus tamen Decem Civitatum Præfecturæ obnoxiarum tantum primitus mentionem factam et Argentinæ nomen, ipsa rogante, postea insertum esse. Cur Cæsarei legati ad solas Decem Civitates animum intendere visi sint satis liquide apparet, cum ea quæ Galli ad prædictas civitates attinentia petierant satis Cæsareanos commonebant, et ceterum cum per Præfecturam sibi cessam Ludovicus XIV quædam in illas jura acquirebat quæ earumdem immedietati periculo esse poterant.

Quod Milhusa prætermissa est, haud mirandum : nam huic civitati cum Helvetica fœderatione societas optima erga Galliam tutela erat. Insuper instrumenti pacis Monasteriensis capite LXI pactum erat ne Helvetica fœderatio Imperio subjecta in posterum duceretur, et propter ea Milhusa non jam Imperii pars habebatur (1).

Pariter in indice inscribuntur omnes ecclesiastici ordines qui immedietate fruebantur, exceptis tantum dominiis, præsertimque capitulo Weissenburgensi, quæ ad episcopatum Spirensem pertinebant. Quæ prætermissio verisimiliter explanatur, si memoratur episcopatum Spirensem Trevirensis electoris esse, cujus utilitatem tueri domus Austriaca parum, ratione priorum eventorum, parata erat.

In sæcularium statuum indice plures econtra desunt.

[1] Nec in « schemate repartitionis trium myriadum thalerorum pro satisfactione militiæ sueciæ in VII circulos Imperii » (Adamus Adami, *Arcana......*, p. CCCCXXIII et seq.), nec in matricula a. MDCLIV confecta (A. A. E., *Mémoires et Documents, Allemagne*, t. 52, f° 87) inscribitur Milhusa. Vetere monarchia durante, hujus civitatis libertati Gallia pepercit.

Memorantur tantum « Palatini de Lutzelstain », « comites et barones de Hanaw, Fleckenstain, Oberstain », « totiusque Inferioris Alsatiæ nobilitas ». Hic de equestri nobilitate (germanice *Reichsritterschaft*) agitur, quæ in totum inscribitur, non quod plurimas familias amplectebatur, quas enumerare longum sit, sed quod a sæculo XVI hi equites societatem faciebant, quæ in omnibus rebus quæ communem utilitatem contingebant, collegialiter agere solebat (1).

Inter prætermissos sæculares status notanda sunt præsertim dominia quæ ad Wurtembergicam, Leiningenensem, Palatinam, Lotharingicamque domum spectabant. Quæ prætermissiones eo magis miræ videntur, quod primis clausulæ verbis « sed etiam reliquos.... » omnium et singulorum immediatorum statuum in Alsatia sitorum enumeratio promittatur.

Postea Cæsarei legati nonnullas earum prætermissionum, quæ non omnes consulto factæ videntur, animadverterunt; et cum a. MDCXLVII simul ac Gallici articulatim conscribere statuerunt ea de quibus die XIII septembris prioris anni convenerant, die XIII junii capitis projectum (2) obtulerunt, in quo statibus in indice die XIII septembris a. MDCXLVI facto inclusis addebantur duces de Wurtemberg, « tanquam domini comitatus Montpelgardensis, Horburg et Reichenweiler », et co-

[1] V. Overmann, Die Reichsritterschaft im Unterelsass (*Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins*, t. XI, fasc. 4, et t. XII, fasc. 1). — In conclusis provincialium Inferioris Alsatiæ comitiorum a. MDCXXV congregatorum quæ a Laguille edita sunt, hæc nobilitas collegialiter agens observatur; plerumque tantum « nobilitas » indicatur, nunc uno, nunc duobus ex ejus membris præsentibus conclusaque subscribentibus.

[2] Meiern, *Acta.....*, t. V, p. CXXX.

mites et barones « de Leiningen, Rixingen, Westerburg (1) ».

Revera Wurtembergicam domum addere superfluum erat, cum alio ejusdem instrumenti pacis capite (2) pangebatur : « Principes quoque Wurtembergici lineæ Montpelgardensis restituantur in omnes suas ditiones in Alsatia vel ubicumque sitas.... .. et ab utraque parte redintegrentur in eum statum, jura et prærogativas, quibus ante initium horum bellorum gavisi sunt. » Leiningenensis autem domus mentio minus supervacua fuisset. At Gallici legati consulto et vehementer obstarunt ne quid verborum capitis LXXXVII die XIII septembris a. MDCXLVI statutorum mutaretur et causam vicerunt.

Palatinus elector. cum bellum triginta annorum incipiebat, inter Austriacæ domus hostes fuerat, et propter ea non mirandum est quod Palatinæ domus mentio in indice capitis LXXXVII omittatur (3). Quæ ceterum supervacua fuisset, dum ejusdem tractatus capite XIV adstipulabatur : « Ut Inferior Palatinatus totus cum omnibus et singulis ecclesiasticis et sæcularibus *bonis, juribus et appertinentiis*, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesque Palatini gavisi sunt,..... eidem (id est Carolo Ludovico, Palatino comiti, antea memorato) plenarie restituerentur. »

[1] Rixingen et Westerburg ad Leiningenensem domum spectabant : quæ autem dominia extra Alsatiam erant, Leiningenensibus (v.supra, p. XXIX) in hac regione comitatum Dagsburgensem balliviamque Oberbrunensem tantum possidentibus.

[2] Capite XXXII.

[3] In hoc indice tamen memorantur « palatini de Lutzelstain ». Comitatus de Lutzelstein (gallice *La Petite-Pierre*) ad agnatos electoris Palatini pertinebat.

Denique quod ad Lotharingiæ ducem attinet, qui Regis Catholici adstrictus amicus erat, nec Monasterii de pace cum Gallis convenerat, haud mirum si inter status non conscribatur, quorum juribus Gallia parcere debebat, dum ipsius hostis manebat.

IX

Qui legit hæc verba « sed etiam reliquos per utramque Alsatiam Romano Imperio immediate subjectos ordines........ », Alsaticos tantum status postea enumerari facile arbitretur. In prædicto indice autem duo inscribuntur status qui extra Alsatiam erant, scilicet abbatia Luderensis dominiumque Obersteinense (1).

Si abbatia Luderensis inscripta est, non equidem mirandum. Hæc enim, in Burgundico comitatu sita, a papa Pio IV abbatiæ Murbacensi in Superiore Alsatia sitæ in perpetuum nexa erat ; ita ut abbas nomen « abbatis Murbacensis et Luderensis » abhinc præten-

[1] De hoc ignotus *Historiæ satisfactionis.........* auctor candide erravit, dum capitis LXXXVII indice nisus scripsit : « Les Empereurs ne donnèrent pas aux Landgraves ou comtes provinciaux d'Alsace la juridiction *sur tous les prélats, seigneurs et villes d'Alsace.* Il y en eut plusieurs sur lesquels ils se réservèrent la juridiction immédiate : ainsi les évêques de Strabourg et de Bâle, les abbés de *Luders* et de Münster-au-Val-Saint-Grégoire, et l'abbesse d'Andlau, les comtes de Lutzelstein ou de la Petite-Pierre, de Hanau, de Fleckenstein, d'*Oberstein* et plusieurs autres (sic vertuntur sane hæc verba « totiusque Inferioris Alsatiæ nobilitatem »), et les villes de Strasbourg...,... demeurèrent toujours dans la dépendance immédiate des Empereurs. »

derit (1). At notanda insolens capitis LXXXVII conscriptio, dum vocabulum, haud « abbatis », sed « abbatum Murbacensis et Luderensis » adhibeatur, perinde ac si utrique abbatiæ unus abbas præfuisset.

Quod ad Oberstein attinet, in recenti libro (2) primum et solum rationem reddi cognovi, cur in indice capitis LXXXVII istud inscriptum sit. « Domini, aït auctor, posteaque comites de Leiningen antiqua rhenanorum dynastarum familia erant, cujus patrimonium per præsentem Bavariam Borussiamque rhenanam sparsum erat. Ibi inter alia et comitatum possidebant Obersteinensem, qui in valle fluminis Nahe jacebat, et cujus nomine in Westphalicæ pacis instrumento tanquam immediati Imperii status, Alsaticis terris muniti, memorantur. »

Fateor me, re perspecta, hanc explanationem sequi non posse. Etenim Leiningenenses nunquam, quod sciam, omnes et singuli vocabulo « dominorum de Oberstein » notati sunt (3). Si tali explanationi assentiendum esset, caput LXXXVII solum scriptum esset in quo familiam istam numerosam et in multos ramos partitam hoc vocabulo nominatam esse cognoscerem.

[1] In jam dicto memoriali Colbert de Croissy Luderensem simul ac Murbacensem abbatiam inter ecclesiastica beneficia annumerat, in quæ rex, quippe Landgravius, protectionis jure fruitur, etsi Habsburgii in Murbacensem solam, non in Luderensem abbatiam, advocatiæ jure olim gavisi sint.

[2] Reuss, *L'Alsace au XVIIe siècle*, t. I, p. DXVIII.

[3] In « schemate repartitionis trium myriadum thalerorum pro satisfactione militiæ suecïæ in VII circulos Imperii » notantur : Linange-Dagsburg et Linange-Westerburg. In matricula a. MDCLIV confecta : comites de Leiningen-Hartemburg (id est prior Dagsburgensis lineæ ramus) et comites de Leiningen-Westerburg. In conclusis Inferioris Alsatiæ comitiorum a Laguille editis : comes de Leiningen-Dagsburg et comes de Leiningen-Westerburg.

In dicto capite sane hæc non sola, sed haud dubie insolentia esset.

Præterea si vocabulo « baronum de Oberstein » omnes Leiningenensis domus rami notati essent, indici comitatum et baronum in capite LXXXVII memoratorum comites de « Leiningen, Rixingen, Westerburg » addere, sicuti Cæsareani a. MDCXLVII voluerint, supervacuum fuisset.

Denique contradicendum est dominium Obersteinense in Leiningenensium ditionem sane, sed in altera tantum sæculi XVII parte, pervenisse. Prædicto sæculo medio hæc domus (1) in duas lineas, Dagsburgensem Westerburgensemque (2), partita erat. Præterea utraque linea in duos ramos dividebatur : scilicet Dagsburgensis in ramos Hartenburgensem Dagsburgensemque (3), et Westerburgensis in Westerburgensem Leiningenensemque. Eodem tempore rami Leiningenensis-Dagsburgensis-Dagsburgensis caput Emico XII erat, et dominium Obersteinense Guilhelmus-Wirichius, comes de Falkenstein (4), possidebat. Ex hoc filiæ tantum exortæ sunt : quarum primogenita, Anna-Elisabetha, Georgio-Guilhelmo, primogenito Emiconis XII filio, postrema vero, Christina-Ludovica, Emiconi-Christiano, secundo ejusdem Emiconis XII filio, nupta fuit. Ob hæc connubia dominium Obersteinense ad Leiningenensem domum translatum est. At, Emiconis XII filiorum æta-

[1] Quæ sequuntur ab Imhoff, *Notitia Sacri Romano-Germanici Imperii procerum......* sumuntur.

[2] Ad utramque lineam Alsatica dominia spectabant : ad Dagsburgensem comitatus Dagsburgensis pars quæ in Alsatia comprehendebatur, et ad Westerburgensem ballivia Oberbrunensis.

[3] Vel Falkenburgensem.

[4] Comitatus Falkensteinensis in Palatinatu jacebat.

tis ratione habita, minime verisimiliter ante annum MDCXLVI uxorem duxerant (1). Ceterum, etiamsi unus e filiis Emiconis XII dominium istud ante dictum annum per matrimonium acquisivisset, mirandum esset, illo nomen suum propriæ familiæ non imponente (2), si vocabulo dominii ab ipso recenter parati non familia tantum, cujus pater genitor ipsius erat, sed omnes ejusdem agnati notati essent.

Igitur non possum concedere diversos Leiningenensis domus ramos per vocabulum « baronum de Oberstein » indicare Cæsareos legatos voluisse. Fatendum equidem alteram explanationem proponendam me non habere, et quamobrem dominium istud in indice capitis LXXXVII inscriptum sit a me perspici non potuisse (3).

Comitatus Lutzelsteinensis, qui jam a sæculo XV ad Palatinam domum pertinebat, non in regione alsatica situs, sed ipsi contiguus erat (4). At ei quorum ille

[1] Emico-Christianus a. MDCXLII natus est : equidem ignarus sum anni quo natus sit Georgius-Guilhelmus ; at non multum ante natu minorem fratrem verisimiliter in lucem susceptus est.

[2] A. MDCLVIII tantum Emico XII obiit.

[3] Addendum, ut omnia a me collecta indicia proferantur, Annam-Elisabetham, Georgio-Guilhelmo de Leiningen-Dagsburg orbam, comitiis Ratisponensibus suo et sororum suarum nomine memoriale mense julii a. MDCLXXX misisse, ut quereretur de dominio castroque Oberstein copiis comitis de Tesse occupato (Imhoff, *Notitia.....*, p. D) ; et parlamenti Metensis cameram, « reunionum » causa institutam, « de reunione castri, terræ et dominii Obersteinensis » judicium die VII novembris a. MDCLXXX tulisse ; quo judicio refertur diem « seniori Emiconi-Christiano de Leiningen et Dagsbourg, baronatus Obersteinensis curatori », dictam esse (Léonard, *Recueil des traités..*, t. VI).

[4] In occidentali Vosagi montis latere jacebat.

comitatus erat semet alsaticorum statuum partem semper habuerunt, et omnibus Inferioris Alsatiæ comitiis quorum Laguille conclusa edidit, per vicarium interfuerunt, exceptis comitiis a. MDXLIV congregatis, a quibus non soli abfuere. A. MDCLIII adhuc Georgius-Johannes, comes Palatinus, in epistola ad Argentinenses missa scribebat comitatum suum Lutzelsteinensem Inferioris Alsatiæ partem esse (1).

Comitatus Hanaviensis in inferiore fluminis Mœni valle jacebat. At a sæculo XV desinente Hanaviensis domus Lichtenbergense dominium in Alsatia situm possidebat, et vulgo nomine Hanau-Lichtenberg notabatur. Ob ipsum dominium in indice capitis LXXXVII hæc domus inscribitur.

X

Clausulæ qua pangitur ut « Teneatur Rex Christianissimus » memoratos status « in ea libertate et possessione immedietatis erga Imperium Romanum, qua hactenus gavisi sunt, relinquere », adduntur hæc verba : « Ita ut nullam ulterius in eos regiam superioritatem prætendere possit ; sed iis juribus contentus maneat quæcumque ad Domum Austriacam spectabant, et per hunc pacificationis tractatum Coronæ Galliæ ceduntur. »

Qui verbis his serviet, ei necessarie apparebit Austriacam domum quibusdam juribus in omnes prædmemora-

[1] Schœpflin, *Alsatia Illustrata*, Periodus germanica, sectio I, § CCCLVI.

tos status (« in eos ») munitam esse; Regem Christianissimum iisdem « contentum manere » adstrictum; et eorumdem summam non usque ad « superioritatem regiam », id est infinitam potestatem, in dictos status perductam (1).

At non puto hæc verba e scriptione interpretari licere. Etenim Austriacæ domus nulla erant cujuscumque generis jura in plurimos in capite LXXXVII memoratos status : scilicet episcopos Argentinensem Basileesemque, civitatem Argentinensem, abbatissam Andlaviensem, Palatinos de Lutzelstein, comites et barones de Hanau, Fleckenstein et Oberstein, ac Inferioris Alsatiæ equestrem nobilitatem. Propter ea prædicto capite jura, quæ non erant, tradi non poterant.

Ceteroquin Rex Christianissimus sibi legem statuere non poterat se contentum futurum « iis juribus.......... quæcumque ad domum Austriacam spectabant », cum in Alsatia quædam haud antea ad dictam domum pertinentia consequebatur. Etenim, prætermisso Inferioris Alsatiæ Landgraviatu, quem repetere per ambigua capitum LXXIII et LXXIV verba sibi concessum asserere poterat, rex episcopatus Metensis feuda in Inferiore Alsatia sibi parabat, in quæ domus Austriaca jura nunquam ulla usurpaverat. Itaque non existimo hac

(1) Cf. *Histoire de la satisfaction.....* : « A l'égard des États relevant immédiatement de l'Empire situés en Alsace, les Impériaux demandèrent qu'ils fussent conservés dans ce même état et dans leur liberté; mais les plénipotentiaires du Roi n'y voulurent pas consentir, et firent mettre qu'ils seraient conservés dans la liberté dont ils jouissaient sous la maison d'Autriche, sachant qu'elle y avait pris de l'autorité que la France aurait ainsi droit de conserver. »

clausula « Ita ut nullam ulterius in eos..... » regi adstricte jussum fuisse non plura per utramque Alsatiam pro suo vindicare quam quæ Habsburgiorum erant.

Clausula ut arbitror, quanquam adsunt hæc verba « in eos », non in omnes, sed in quosdam tantum præmemoratos status et peculiariter in Decem Civitates cadit. Etenim Decem Civitatum immedietati præsertim periculo erant jura quæ nomine Præfecturæ de domo Austriaca ad regem transferebantur, et ab iisdem haud dubie potissimum timendum erat ne illa jura, quibus rex vigore capitis LXXIV cum omni supremitate frui debebat, in « superioritatem regiam » desinerent. Præterea earumdem civitatum possessionem legati Gallici pertinacissime appetierant, adeo ut jam cum Cæsareanis transacturi adhuc rogabant ut supremitas in eas regi traderetur. Itaque suspicor hanc clausulam a Cæsareanis tantum additam fuisse ut cautionem novam, solidam falsamve (nihil ad rem de qua nunc agitur pertinet), non omnibus præmemoratis statibus, sed peculiari modo Decem Civitatibus præberent. Et revera hac sententia mihi videtur enuntiata fuisse illa a Gallis postremo facta declaratio, cum, de Philipsburgi præsidio lite obtento, monuerunt se, nomine regis, non jam supremitatem « superioritatemve regiam » in Decem Civitates vindicare, sed contentos manere iis protectoriis juribus quæ antehac ad domum Austriacam spectabant.

XI

Ineuntes diximus pacis Monasteriensis instrumento plus quam Austriacam Alsatiam, id est terras quibus Habsburgii vel hereditario jure, vel pignoris causa fruebantur, Regi Christianissimo traditum esse. Etenim jam monstravimus : I° vigore tractatus regi causam fuisse videri cur Inferioris Alsatiæ Landgraviatum et Metensis episcopatus feuda, quæ nunquam ad Austriacam domum pertinuerant, sibi vindicaret ; II° per vocabula Landgraviatus Præfecturæque non tantum Austriacas terras, sed etiam quædam jura in nonnullos immediatos status plus minus definita translata esse.

Denique peculiariter notandum Ludovico XIV cum omnimoda supremitate tradita esse quæ in Alsatica regione Austriaca domus pro Imperii feudo possidebat. Hæc præcipua discrepantia haud inconsulto ultima capitis LXXXVII clausula memoratur : « Ita tamen ut præsenti hac declaratione nihil detractum intelligatur de eo omni supremi dominii jure quod supra concessum est. »

Equidem existimo Gallicos legatos, dum rogant ut hæc clausula capiti LXXXVII addatur, Decem Civitates præsertim in conspectu habere, cautionemque refringere velle, quam per anteriorem clausulam eis præbere Cæsareani cogitaverant. At omnia quæ regi in Alsatia tradebantur hæc postrema clausula contingebat. Quam ad percipiendam memorandum est caput LXX : « Primo quod *supremum dominium*, jura superioritatis, aliaque omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem et Viro-

dunensem, Urbesque cognomines, eorumque Episcopatuum districtus,...... in posterum ad Coronam Galliæ spectare eique incorporari debeant in perpetuum et irrevocabiliter......... », et caput LXXIV : « Itemque dictus Landgraviatus utriusque Alsatiæ et Suntgoviæ, tum etiam Præfectura provincialis in dictas Decem Civitates et loca dependentia...... absque ulla reservatione, cum omnimoda jurisdictione et superioritate *supremoque dominio* a modo in perpetuum ad Regem Christianissimum Coronamque Galliæ pertineant. »

Ultimæ igitur capitis LXXXVII clausulæ sensus generalis hic est : immedietate antehac quibusdam Alsaticis statibus relicta, nihil detractum intelligendum est de ea supremitate, vel « supremo dominio », quo in omnibus sibi per utramque Alsatiam antea traditis rex frui debet. Unde hic totius dicti capitis, sententia ad verbum accepta, sensus emanat : memorati Alsatici status immedietate erga Romanum Imperium sicuti antea frui pergent ; nihilominus rex cum omni supremitate fruetur omnibus quæ jam hinc ad eum quippe Landgravium Superioris Inferiorisque Alsatiæ, vel Præfectum Haganoënsem, vel Dominum Metensem in Alsatia spectabunt.

Sed hæc inter se pugnabant verba : immedietas supremitasque ; quæ repugnantia, in capite LXXIV inclusa, plane in capite LXXXVII apparebat.

Antea diximus prima hujus capitis clausula simpliciter pactum, ut omnia per utramque Alsatiam in eodem politico statu relinquerentur quo ante bellum exortum, præterquam quod rex in locum pristinorum « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Sunt-

goviæ, Præfecturæque provincialis » possessorum subrogaretur. At subrogatio non nuda fiebat. Etsi secunda prædicti capitis clausula contradici videretur, rex non sola et in Austriacis terris jura, quibus Habsburgii ornati erant, acquirebat. Etenim jus ad illum abhinc spectabat non Austriacæ domui impertitum, id est « supremi dominii », supremitatisve, quod, tutandi causa, ultima ejusdem capitis sententia memorabatur.

At quomodo regis supremitas cum omnium Alsaticorum statuum immedietate accommodari poterat? Quantumvis exiguæ essent prærogativæ quæ per vocabula Landgravii Præfective regi jam nunc tradebantur, hic dum illis cum « supremo dominio » fruebatur, Alsaticorum immedietatem statuum offendebat, qui abhinc cogebantur se quantumvis adstricto sed quodam modo obnoxios fateri alius supremæ auctoritati atque Imperatoris Imperiive. Revera in quosdam immediatos status præsertimque in Decem Civitates (1) rex tam ampla jura acquirebat, ut, si cum « supremo dominio » istis frueretur, illorum libertatem usque ad vanam effigiem extenuaret.

XII

Equidem Ludovico XIV et Alsaticis statibus valde peculiaris et maxime ambigua conditio per verba instrumenti pacis jubebatur. Lex eis statuebatur

[1] V. *La question des Dix Villes impériales d'Alsace.*

ut invicem eadem commercia haberent quæ (maxime implexa, sicuti ubicumque terrarum feudalitas vigebat) antehac habuerant et eidem Alsatici status et ei quorum terræ juraque regi jam nunc obveniebant. Simul autem id abolebatur quo illa tenuia interdum et maxime intricata commercii et mutuæ subjectionis vincula, illæsa cujuscumque immedietate, fieri poterant, scilicet communis omnium obtemperatio soli potestati, quam penes « supremum dominium » erat, id est Imperatori Imperioque.

Ambigua illa conditio simul Ludovico XIV incommoda et Alsaticis statibus gravis erat.

Ludovico XIV incommoda, quia tanquam Landgravius Præfectusve nonnulla jura acquirebat, quæ tantum penes principem Imperatori Imperioque subjectum aut ab eisdem delegatum haud infirma imo legitima videbantur. Et ministeriales ejus illud sane respiciebant. Etenim in memoriali (1), a. MDCXLIX verisimiliter dato, ministerialis quidam, nobis incognitus, de rebus a rege in Alsatia nuperrime acquisitis scribebat : « Perspiciendum utrum necesse sit ut solennis occupatio fiet, an possessionem ante belli exitum occupatam nec interruptam, novis actis non factis, persequi satis sit...... Perpendendum solennem occupationem forsan fieri non posse, haud adjuvantibus Imperatore Imperioque. » Postea Ludovici XIV ministri dominum de Vautorte, legatum ad imperialia comitia Ratisponæ habita a. MDCLIII missum, mandatis instruentes, de

1 *Mémoire concernant l'établissement d'une cour de justice souveraine en Alsace* in Vanhuffel, *Documents inédits*........., p. CXCI.

Præfectura hæc scribebant : « Provincialis Decem Civitatum Præfecturæ cessio ita conscripta est, ut supremitas in eam Galliæ manifesto tribuatur ; etsi eodem tractatu supremitas in Decem Civitates Imperio plane servetur...... Dictus dominus de Vautorte, si de Alsatia (id est de restitutione Landgraviatus Alsatiæ inter Imperii status) cesserit, cedet quoque de hoc puncto (id est de eadem Præfecturæ restitutione), in quo Sua Majestas non tam validum, quia insuetum, jus habet ; quum civitates Imperio subjectæ liberæque manent et Præfectorialis præcipue muneris est illas in eo statu servare et præterea Imperatoris Imperiive mandata jussaque et recipere et exsequi. »

Alsaticis autem statibus gravis, quia Ludovicus XIV, dum juribus titulo Landgravii Præfective nexis cum « supremo dominio » fruitur quorumdam saltem inter illos immedietatem non lædere non potest. Et, in universum, dum inter eos admittitur princeps, qui non tantum eos potentia longe superat sed etiam supremitate (« supremo dominio ») præditus nullo modo Imperio obnoxius est, qui autem cum ipsis implexa et interdum difficilia, ratione non tantum confinium ac sæpe intermixtorum dominiorum sed etiam prærogativarum ad se translatarum, commercia habet ; id libertati illorum periculo est. Quod imperii status sane perspiciebant. Prætermissis enim haud inanibus Decem Civitatum sollicitudinibus, quæ in plurimis ab ipsis a. MDCXLVI, MDCXLVII et MDCXLVIII productis memorialibus expromuntur (1), utamur tantum hoc valde significanti

[1] V. *La question des Dix Villes impériales d'Alsace....* ; — et Reuss, *L'Alsace au XVII*[e] *siècle,* t. I, l. II, cap. III.

loco epistolæ (1) die XXX septembris a. MDCXLVI datæ, in qua Forstnerus, dispiciens cur multi Germanici principes cuperent ut Rex Christianissimus res in Alsatia acquisitas pro Imperii feudo reciperet, hæc scribebat : « Postremo nisi ea ratio ineatur quæ Imperii legibus et judiciis Galliæ regem subdat, impune erit, quicquid malesana cupiditas suaderit : vicinos terminorum finiumque regundorum litibus exagitare ; in alieno quæ volet jura sibi arrogare ; quæ in suo alii habent inficiari ; nova et superioribus temporibus inusitata vectigalia instituere ; creditorum austriacorum in se translatas actiones, variis cavillandi artibus, quarum ista natio ad infamiam usque callentissima habetur, eludere. Illis et similibus disceptandis, ubi forum et jus ? quis magistratus ? quis judex ? quæ executio in externum nullis Imperii legibus, potestatibus aut judiciis obnoxium ? »

Pariter externis negotiis præpositus, de Brienne, certior factus Cæsareanos Alsatiæ Landgraviatum haud Imperio obnoxium Ludovico XIV obtulisse, Gallicis legatis, qui Monasteriensi conventui aderant, scribebat tum supremitatem quoque in omnes Alsaticos status regi tradendam esse, quia, hac conditione non pacta, « ministerialium conatus aut de finibus lites jurgii causa fierent (2) ».

Conditio igitur regi Alsaticisque statibus præscripta multo minus simplex erat quam vulgo fingitur. Etenim nec Alsatia integra, scilicet geographica regio, nec sola Austriaca Alsatia Ludovico XIV vigore instrumenti

[1] Meiern, *Acta*...., t. III (Forstneri epistolae, p. XIV).

[2] *Négociations secrètes*...., t. III, p. CXCV.

pacis Monasteriensis tribuebatur. Ad hunc transferebantur et Metensis episcopatus cum ejusdem « districtu », et « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ », et « Præfectura provincialis », eaque omnia « cum omnimoda jurisdictione et superioritate supremoque dominio »; ita ut jam multis publici juris germanici implicationibus addereter implicatio nova, id est supremitas quacum rex juribus Landgravii Superioris et Inferioris Alsatiæ, Præfecti Haganoënsis, Dominique Metensis titulo nexis frui debebat.

Quæ cum ita essent, Ludovico XIV in Alsatia deveniebat multiplex terrarum jurumque hereditas, quæ multorum jurgiorum fons necessario esse debebat. Inter quæ creberrima implicatissimaque e supremitate regi tributa et immedietate Alsaticis statibus servata oriunda erant ; ita ut ille, tali conditione pacta, rebus sibimet indubitate cessis omnino et quiete frui nequiret. His controversiis rex finem dedit quum non statim post confectam Monasterii pacem, sed tantum post triginta annos, sane simplici at non instrumenti pacis verbis convenienti modo suimet « supremi dominii » Alsaticorumque statuum « immedietatis » repugnantiam diduxit, atque universas Alsatiæ partes in suam ditionem redegit.

Igitur asseri potest « supremo dominio », quocum Ludovico XIV tribuebantur « Landgraviatus Superioris et Inferioris Alsatiæ, Suntgovia Præfecturaque provincialis Decem Civitatum in Alsatia sitarum », et quod ultima capitis LXXXVII clausula plane servabatur, postremo effectum esse ut Alsatia universa Regi Christianissimo subderetur, non quod ipsa integre cum « supremo dominio » per verba instrumenti pacis ad

dictum regem transferebatur, sed quod rex rebus sibi cum « supremo dominio » cessis omnino et quiete frui nequibat, nisi solus et supremus totius Alsatiæ dominus fieret.

APPENDIX

A. MDCLIII, comes de Harcourt, qui tunc Præfecturam nomine Ludovici XIV gerebat, archiducum Austriacorum utpote Præfectorum exemplo, abbatis novi Monasteriensis electionis particeps esse voluit. Quod in libro D. Calmet (*Histoire de l'abbaye de Münster*, p. CXCIV et seq.) sic narratur :

« A la mort de Henry de Stouben (1), il y avait dans l'abbaye de Münster trois religieux profès, et par conséquent un nombre suffisant pour faire une élection canonique. Mais comme MM. les officiers des Préfets de Haguenau, en qualité de ministres de l'Empereur, seul souverain de l'abbaye, avaient eu, par ci-devant, pendant qu'il n'y avait pas dans l'abbaye nombre de religieux suffisant pour faire une élection, quelque part à la nomination des abbés faites par Messieurs les évêques de Bâle, Monsieur le prince d'Harcourt, pour lors gouverneur d'Alsace et landvogt de Haguenau, prétendit avoir droit à donner un successeur à l'abbé de Stouben. C'est pourquoi il nomma et présenta à Monseigneur l'évêque de Bâle, Messire Alphonse-Louis de Lorraine, son fils, abbé de Royaumont, pour être abbé de Münster ; mais les religieux de Münster avaient prévenu Monsieur le prince d'Harcourt, et avaient

(1) Qui a. MDCLIII obiit.

fait élection du révérend père Alphonse Kleinhans, profès d'Ochsenhausen, pour leur abbé, et en avaient envoyé l'acte, tant à Monseigneur l'évêque qu'audit R. P Alphonse élu.

« L'on peut juger de l'embarras où se trouva Son Altesse de Bâle entre ces deux prétendants ; le crédit, l'autorité, la force, étaient tout entiers du côté de M. le Prince d'Harcourt, mais le bon droit était visiblement pour M. Kleinhans. Lorsque celui-ci crut venir prendre possession de son abbaye et recevoir sa confirmation de S. A. de Bâle, il trouva aux portes de la ville de Turckheim et de Münster des défenses expresses d'y entrer et on le menaça même de se saisir de sa personne, s'il voulait s'ingérer de faire acte de juridiction en qualité d'abbé de Münster. Il fut donc obligé de se retirer.

« Cependant M. le prince d'Harcourt sollicitait puissament Monseigneur l'évêque de Bâle, pour obtenir sa confirmation pour le prince son fils ; mais l'évêque s'en défendit généreusement, tant parceque la nomination de ce jeune prince était faite contre les privilèges de l'abbaye et contre les lois du concordat germanique, que parceque le droit était déjà acquis à un autre selon les lois canoniques, et que le jeune prince que l'on présentait n'avait pas l'âge nécessaire pour posséder l'abbaye et pour faire fonction de la règle, conditions nécessaires pour obtenir cette abbaye, qui n'avait jamais été en commande.

« En vain, M. le Prince d'Harcourt proposa de demander la résignation de l'abbé élu en faveur de son fils, ou de lui obtenir une dispense de Monseigneur le nonce résidant à Lucerne, tant pour

l'âge que pour la qualité de religieux. L'abbé élu répondit généreusement qu'il endurerait plutôt la mort que de résigner en faveur d'un commandataire ; et Monseigneur le nonce écrivit une lettre pleine de liberté à Monseigneur l'évêque de Bâle, qui lui avait écrit lui-même en faveur du prince d'Harcourt, que Sa Sainteté trouverait très mauvais que le nonce accordât cette grâce à ce prince, et que, loin de l'accorder, il lui défendait expressément, à lui évêque, de la lui octroyer.

. . . .

« Tout cela ne rebuta point M. le prince d'Harcourt. Il fut encore plus de deux ans à solliciter auprès de Sa Sainteté et de Son Altesse de Bâle pour obtenir ce qu'il demandait pour le jeune prince son fils ; mais enfin, voyant qu'il ne pouvait rien gagner sur leur esprit, il s'avisa de présenter à Son Altesse de Bâle Messire Charles Marchant, religieux de St-Benoît, profès de St-Germain-des-Prés de Paris, conseiller et aumônier du roi et dudit prince d'Harcourt, pour lui conférer l'abbaye.

« Monseigneur l'évêque de Bâle, qui voyait avec douleur l'état pitoyable de ce monastère, et qui souhaitait de lui donner un abbé de mérite et d'autorité, sans risquer les droits de son siège, ni ceux de l'abbaye, en écrivit à M. Kleinhans, élu depuis peu abbé d'Albers-pach, pour l'engager à donner sa démission en faveur de M. Marchant. M. l'élu lui envoya sa démission (1), avec cette clause et condition et non autrement, que l'abbaye serait conférée à un religieux, profès de l'ordre, et qui la conserverait en titre et à l'ordre ; protes-

[1] Per litteras die v decembris a. MDCLVI datas.

tant, si l'on en disposait autrement, de défendre et maintenir son droit jusqu'à l'extrémité, envers quiconque contreviendrait à son intention à cet égard.

« Le droit de conférer l'abbaye étant par cette démission retourné à l'évêque de Bâle, il fit venir le R. P. Charles Marchant, et après l'examen et le serment à lui prêté, en présence des commissaires de Monseigneur le prince d'Harcourt expressément envoyés à ce sujet, il lui donna ses lettres de provision, en vertu desquelles il prit possession de l'abbaye, le 14 août 1656, avec les cérémonies et solennités accoutumées, ainsi qu'il est porté en l'acte qui en fut dressé le jour même. »

INDEX RERUM

Vidi ac perlegi :
Lugduni, pridie Kal. Dec. MDCCCXCVIII
Facultatis Litterarum
in Universitate Lugdunensi Decanus,
L. CLÉDAT.

Typis mandetur :
Lugdunensis Academiæ Rector,
Gabriel COMPAYRÉ.